

Codice Diplomatico Longobardo I, 18

(C) Regnante domino nostro Liutprando uiro excellentissimo rege, anno in Dei nomine tertio, quinto kalendarum decembrium, inditione tertia decima. Senator filius bone memorie Albini et Theodelinda Christi fideles presentes presentibus diximus: Omne quidem munus qui de iustitia Deo cum sinceritate mentis offertur acceptabile est, nam tunc acceptabilius ab omnipotente implebitur hostia quando per semetipsum homo oblatio efficitur illi cui placet; contribulatus spiritus quique cor contritum et humiliatum nequaquam spernit. Qui cum ita se habeant, poteramus e t nos fideles Christi Senator et Theodelinda de parentum nostrorum nostrisque honorare Deum laboribus pro nostra filiaeque nostrae salute, eaque uiro carnali et morituro contradere secundum apostolum bene facientes; sed idem ipso beato Paulo monente, qui uirginem suam non tradentem nuptu, melius facere adtestatur, cum his quae nobis ab eo gratulamur concessa, u[ti]lius perspeximus Christo immortali spons[o], cum manifestus est gemitus noster nobiscum eam offerre qui et pro munere nobis optimo gaudia uellet rependere felicitas perpetue et illi in caelesti patria cum prudentibus parare uirginibus thalamum, ubi numquam deest uerus splendor luminis, ubi semper adest omnibus aromatibus odor delectabilior, ubi spiritualibus spiritualiter diuitiae affluunt, ubi perpetuo successu mens inflata Domino gratulatur, in qua uidelicet gloriosissima regione choros angelici et sanctorum milia bonis caelestibus incessanter fruuntur. Quorum denique ut, relaxatis nobis facinoribus uniuersis, Dei nos summi clementia dignetur ciues efficere, calore sancti Spiritus excitante, qui inuisibiliter cum uoluerit corda hominum diffusus accedit, eoque porrigente auxilium, in domo propria, a parentibus nobis relicta, intra haue Ticinensem ciuitatem monasterium instituimus, in quo sub monachico habitu sacra tecta uelamine dulcissimam filiam nostram Sinelindam deuotissime mil[i]tauimus, ubi nos supradicti fundato res Christi fideles Senator et Theodelinda donamus et conferimus omnem facultatem nostram quam possidemus uel quam ex parentum successionibus seu ex regio dono uel quoquo dono ubi ubi habere uidemur et nunc ad manum nostram defenditur atque Deo permittente potuerimus adquirere, tam intrinsecus domos cum familia quamque colonos cum omnibus cespitibus, uniuersa in integrum mobilia et immobilia; excepto quod pro animae nostrae salute iam contulimus in locis sanctorum, gasindiis ac libertis nostris, quos in libertate secundum nostram institutionem manere precepimus, uel cuicunque adhuc sincera uoluntate non doloso animo sub reuerentia Dei largiri uoluerimus. quod interea monasterium superius dictum cum omnibus inibi a nobis oblatis et undecumque deuolut is uolumus pertinere ad pontificem Apostolicae sedis et ad principis huius terrae defensionem habere, ita sane ut nullus ibidem prouintiae istius episcopi ac sacerdotis aliquando inspiciatur potestas. post nostrum itaque obitum famule quoque Christi germanae meae Liceriae meumque Senatoris, Theodelindae et Sinelindae dulcissimae filiae monasterii sanccimus, ut omnis Dei familiarum congregatio monasterii huius uno consilio uno que consensu de suo collegio talem semper prouideant et exquirant personam, quae cum Dei timore et sancta conuersatione uniuersis possit preesse uirginibus, et ab illo consecrari episcopo quem tota familiarum Dei aduocauerit cohors; omnium regulari auctoritate inueniatur mater et domina. si autem, quod diuina potestas nullo modo fieri quandoque permittat, uenerandi huius loci abbatissa secundum uoluntatis nostrae dispositum minime curauerit conuersari nec regulariter, ut condecet Dei ancilla, seculi appetens caduca uoluerit uiuere, iuxta consideratione uolumus, ut a principe et duobus uel tribus episcopis seu ab abbate terrae huius, qualem monasterii congregatio adgressa fuerit, corripiatur et

emendetur. quotienscumque uero causa consilii uel ordinationis oportuerit episcopum atque abbatem aduocare, tota unanimiter congregatio Dei ancillarum qualem uoluerint episcopum uel abbatem appetere, inuitatus adueniat; nichil tamen ibi de his quae permissus et caritate coactus ordinauerit, causas qualibet suaे auctoritati aut potestati consignare presumat. oraculurn uero Sancti Petri in Stafula et basilica Beati Gregorii, quam recordandae memoriae domina genetrix mea meo reseruarat uiro, uolumus ut defensionem habeant per sepeditum monasterium nostrum, ita ut numquam ex bis duobus locis aliquid subtrahantur, aut de isdem aliqua oppressio inferatur. oratoria quippe ad nos pertinentia difinimus, ut, quemadmodum actenus ad manum nostram, ita deinceps ad hoc pertineant monasterium. quodcumque etenim intra uenerab[i]lia huius monasterii claustra egentibus in uictu et uestimento rationabili ex hoc quod Deo largiente a nobis oblata sunt uel in antea fuerint, singulis annis decernimus et sub testificatione diuina contempnimus dispensata, ut fideliter pro remedio animarum parentum nostrorum nostrarumque peregrinis, uiduis et pupillis disperciatur arbitrio. unde pollicemur per Deum patrem et filium eundemque dominum nostrum Iesum Christum, qui est redemptio nostra, ac per Spiritum Sanctum numquam nos contra haec ituros quae Deo statuimus inspirante. et si, quod non speramus, quicumque sacerdotum uel secularium sublimium nec non subietorum contra bonae uoluntatis nostraræ dispositam repugnauerit, et de his omnibus a nobis superius ordinatis aliquando minuere uoluerit aut presumpserit aut quaslibet violentias inferre, cum inferentibus blasphemiam in Spiritu Sancto ac negantibus sanctam Trinitatem et unitatem persistentem quando uenerit Filius Dei ad uiuos et mortuos iudicandum cum illis in iuditium dampnandus accedat; quibus positis ad sinistram Saluator noster dicturus est: Ite maledicti ad supplicium ignis aeternum, quod Pater meus caelestis parauit diabolo et angelis eius. qui autem haec omnia firma uoluerit et stabilita permanere et contra aduersantium uoluntates defensor extiterit, cum positis ad dextram, uoce mereatur audire diuina: Uenite benedicti Patris mei, possidete preparatum uobis regnum ab origine mundi. Quam igitur cartulam donationis et oblationis nostraræ Felicem subdiaconum et notarium sanctae Ticinensis aecclesiae scribendam rogauimus, quamque, quia scribere minime potuimus, signum sanctae crucis facientes propria roborauius manu testibusque obtulimus confirmandam. Actum feliciter Ticinum, anno felicissimi regni domni Liutprandi regis tertio, quinto kalendarum decembrium, inditione tertia decima; feliciter. + Senator famulus Christi in hanc cartulam donationis atque oblationis a me facta et dicta, quia scribere minime potui, manu propria signum sanctae crucis feci testibusque obtuli confirmandam. + Ego Theodelinda religiosa femina in hac cartula donationis seu oblationis a nobis facta manu propria subscripsi. + Bruningus uir illustris filius quondam Aldoni in hanc cartulam donationis seu oblationis rogatus a Senatore et Theodelinda propria manu subscripsi. + Ego Todo notarius regie potestatis in hanc cartulam donationis et oblationis rogatus a Senatore et Theodelinda propria manu testis subscripsi. + Ego Saxo uir magnificus maiescarius regie potestat[i]s [h]anc cartulam donationis rogatus a Senatore et Theodelinda manu mea subscripsi. + Ego Auferat notarius regis hanc cartam subscripsi. + Ego Simderam ** regie potestatis hanc [ca]rtam propria manu subscripsi. Felix ind[i]gnus subdiaconus et notarius sanctae Ticinensis aecclesiae scriptor huius cartulae donationis et oblationis quam roboratam compleui et dedi.